



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Pars IV. Confertur cùm qualibet propensione naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

amori plerorumque mortalium, maxime si actuum amoris vehementia, & ardor, imò & nobilitas spectetur: quando plerique mortales non ex amore divino, saltem intento, certe quidem habitui caritatis minimè commo in opus se dant, non etiam ex aliarum virtutum impulsu, nisi rariùs: sed vel ex consuetudine, nullòque honesto sine proposito, vel ex morose voluntatis motu, vel vulgi arbitrio, ductùque, vel etiam ex animi pravo studio. Certè piissimo ac doctissimo viro Remundo Lullo quondam divinitus significatum est, è mortalibus millenis non posse numerari centenos, quibus nonnihil amoris divini inesset. Ex his porro centenis nonagenos impelli ad officium timore pœnæ aternalis. Insuper ex istis nonagenis non esse binos, quos cœli amor ageret. Denique ex millenis agrè unicum inveniri, qui sincero Numini placendi desiderio ad opus propelleretur. Qui nuntius viro Dei amantissimo incredibilem mœrorem attulit. Cùm ergo animæ purgandæ castissimo in Deum amore, omnique caritatis nisu ferantur, nec ab eo unquam desistant, utcumquè eruciatibus, ac doloribus conflictatæ; perspectum est, multo & excellentiorem, & perfectiorem, & ferventiorum in eis vigere Numinis amorem, quàm in plerisque mortalibus.

PARS TERTIA.

Comparatur desiderium defunctorum cum mortalium desiderio Dei.

115.
Tamen desiderium sanctorum mortalium superat.

VERUM enim verò longè magis constat, etiam multò ardentius Dei conueniendi desiderium vigere in defunctis. Quippe mortales multa in terris remorantur, etiam Dei amicos. Quid, quæso, remoraretur animas in flammeo illo ergastulo? Deinde animæ à iacturæ suæ consideratione, atque ad eò à Numinis contemplatione vix, aut ne vix quidem cessare queunt: mortales contemplationi summi boni, ut maxime velint, nequeunt diu inherere. Præterea eas urget viæ terminus, & triumphus tempus. Non sic mortales, quibus & peregrinandum adhuc, & militandum. Denique licet adhuc earum oculos caligo fidei teneat, ut mortales, tamen non tanta tenet. Quippe hanc illustrat, ut diximus, iudicii particularis certa memoria, & ex eo hausta certa iudicis optimi, iustissimi que notitia, & beatitudinis assequenda securitas. Quare si beata Theresia hujus mortalitatis moras ad eò oderat, ut cùm pulsari æs campanum audiret ad indicandum temporis, atque horarum flu-

xum, summis lætitiis incederet, quòd contractiora exilii sui tempora sentiebat. Si jam jam laudatus Remundus vias ac nemora gemitibus implebat, quòd adhuc attingeretur hoc corporis ergastulo, divulsus ab eo, quem plus oculis amabat; ad eò ut emori videretur præ mortis desiderio. Si beatus Godefridus Comes de Campenberg, & Henrici Imperatoris cognatus, cùm S. Norberti institutum complexus esset, & comitibus religiosi fratribus auram captaret, præ summi boni desiderio humi se prosternebat, compositusque in modum moribundi medullitus exclamabat: O! si veniat hora illa nostri obitus! ò, si ad hanc horam aptare me digneris Domine Deus! Postremò si Vincentius Carafa tanto mortis desiderio caperetur; ut cùm quispiam è domesticis efferebatur; gaudio exiliret, spēque proximè illum sequendi; & cùm è morbo ipsemet convallescebat; tristitiā langueret; quòd velut ex aditu cœli exturbaretur adhuc in carcerem mortalitatis; si, inquam, tantâ mortales cupiditate cœli conflagrarent, quid de piis manibus sentiendum?

Nam mortales quidem, etsi caritate su-
perent defunctos, & cum Theresia, aliisque nonnullis ex solo sinceri amoris impulsu, studioque arctioris cum Deo necessitudinis ad mortem aspirent; tamen illud desiderium valde lenire possunt spe divinæ gloriæ ex ipsorum superstitionis laboribus, atque animatum lucro amplificandæ; qui finis castissimæ caritatis est. Deinde si amorem in cœlo puriorem amant, atque exposcunt, obversari potest illis, & facere satis recordatio commodi ex longiore vitâ capiendi, ut collectis pluribus gratiæ gradibus, plures gloriæ cœlestis colligant, atque ad eò ardentiori, excellentiori que amore, eòque æterno Deum prosequantur, qui finis etiam sinceri, illibatique amoris est. Quamobrem maneat desiderio patriæ cœlestis, visionis que beatificæ incomparabili ardere pios manes, & ex iis infimos sanctis mortalibus nihil hoc in genere concedere, sed longè præstare.

116.
Que causa.

PARS QUARTA.

Conferitur cum qualibet propensione naturali.

UT autem mira vis hujus desiderii amplius innotescat, operæ pretium erit eam cum impetu rerum cæterarum conferre. Ac primùm si ab elementis ordiri placet, vis nosse quanta sit vis, atque impetus lapidis molaris ex alto ruentis? singulis horis

117.
Et omnem violentiam vincit.

horis ducenta milliaria posset ingenita gravitate transmittere. Quid de igne dicam? Ejus vi glans ferrea tormento excussa, tichonis quidem Brahe, perillustris sanè mathematici sententia, spatio novem dierum si primus impetus duraret, totum terræ ambitum circumvolitare, id est, novem millia milliarium conficere valeret. Sed eadem vis longè clariùs patet in fulgure, quod essentiâ igneum est. Illud enim è nubibus vi suâ ruptis exiliens penè momento quaquaversum se insinuat. Sed hæc velocitas nulla est, ad cæli, cælestiumque syderum motum. Nam firmamenti stella, terræ orbem universum horâ unicâ bis millies obit. Quanta igitur, Deus bone! ejus celeritas, quanta Genii eam moventis nativa agilitas! quanta primorum Geniorum, cum hæc naturæ præstantiæ respondere debeat pernicitas.

118. *Et vires nature.* Sed jam robur, atque vires ignis, aliorumque mobilium tantisper contemplerur. Ignem mihi fumo, quia omnis prope vehemens motus ab igne proficiscitur. Quid enim ventus? Exhalatio calida, siccaque, ait Philosophus. Quid terræ motus? Commotio ejus ab halitu ejusdem visceribus incluso excitata: Atqui exhalatio, seu halitus, igneæ naturæ est, et si vaporis, qui aqueæ, plerumque immixtus. Porrò quas strages non edidit ventus? non solum in mari, ubi potissimè dominantur, sed etiam in terrâ? Urbes evertère, montes aliò transtulere, Regiones vastavère. In nostro hoc Belgio, et si minus obnoxio eorum furori, Anno millesimo sexcentesimo sexto, plurimas turres, editasque domos, & celsissimos obeliscos: aliæque vi suâ decussère. Unde extat hoc illius anni Chronographicum: *Omnia CaDVnt.* De vi porrò, ac damnis terræ motuum nihil attinet dicere. Eo qui Christo exspirante contigit, aiunt aliqui non solum Judæam concussam, sed & eas civitates corruisse in Asiâ, quarum interitum Tacitus ac Plinius temporibus Tiberii adscribunt: & duodecim in Thraciâ urbes periisse refert Augustinus lib. 2. c. 3. de Mirab. S. Scripturæ. Quid? quod anno nono Constantini Copronymi tam horribiliter tellus contremuit in Syriâ, ut urbium aliarum penitus exterminatae sint, aliarum graviter vastatarum, aliarum à montanis ad campestria cum muris, ac domiciliis suis integris excussarum, ad spatium sex circiter milliarium: & Mesopotamia ad duo in longum milliaria fuerit disrupta. Ex quibus facillè est opinari, si Solis, ac syderum motus propius à terrâ abesset, hanc illius impetu statim in pulverem funditus abituram.

Cum igitur tam potenti nisu, vel tellus ad centrum suum, vel ignis ad suum aspiret, cum venti, ac orbis cælestes tam rapido vehementique impetu ferantur, quo illorum natura, horumque rector Genius impellit, videndum, an piorum manium desideria ad finem suum, ac centrum quantum perveniendi impetu ac violentia illis concedant. Id verò tantum abest, ut ita sit, ut etiam omnis illa elementorum vis, mera sit umbra vehementiæ ejusmodi desideriorum. Etenim propensio elementorum ad centrum, bono, quod in eis nanciscuntur, respondeat, necesse est. Ideò enim ad centrum feruntur, quod iis in eo bene sit. Quale autem illud, & quantum bonum telluris, aut ignis est, quod centrum teneat, in eoque quiescat? Igitur omnis illa vis exhalationum ignearum terra erumpere connitentium, horribilisque illius tremores creantium: omnis item vehementia lapidis molaris rapidissimo lapsu ex alto ruentis, præ vi desiderii piorum manium ad divinum suum centrum anhelantium nulla est, quia ad bonum illud, quod in Deo, ac centro suo pii manes nancisci habent, nullum vel exhalationum, vel lapidis molaris in centro suo quiescentium, bonum est. Et idem de cælestium orbium, astrorumque pernicitate, ac vehementiâ motus dicendum esset, si ab intrinseco, ut aiunt, seu propria sponte ad circularem motum ferrentur; quod nonnulli Philosophi jam suspicantur, nec sine probabili ratione: cum inclinatio ad perpetuum & circularem motum iis ab autore naturæ indita esse possit.

Ceterum, & cælestem illum, & elementarem motum vis aliqua creata retardari potest: at vehementiam desiderii piorum manium quid retardaret? Nam si Paulum, aliosque Sanctos mortales, nec tribulatio, nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec ulla creatura separare à Deo possit, propter vim divinæ caritatis, eorum animis penitus inhaerentis, quid prohibere posset impetum animarum ad Dei possessionem contendentium? Quod tormenti genus illarum velut cursum remoraretur, cum & earum, caritas omnes suas vires in eo impendat, nec fervorem possit remittere? Itaque mallent simul omnia tarrari tormenta singulæ sustinere, quam Deo suo vel tantisper privari, quando tolerantia illa inferioris ordinis, atque adeò minus malum est, quam summiboni privatio. Denique nihil earum propensionem ad centrum illud inhibere valet, præter unicam Numinis voluntatem, à qua ne latum quidem

119. *Quia est summi boni desiderium summum.*

120. *Quod retardari nequit.*

quidem unguem possunt in posterum recedere.

§. 3.

Concluditur, demonstraturque piorum manuum ingens tristitia ex subtractione conspectus Divini.

121.
Generatim ostenditur gravitas pœnæ damni.

CUM igitur potentissimus, ardentissimusque sit fidelium defunctorum in Deum amor, cum ejusdem desiderium illi amoris etiam antecellat, continuo efficitur tristitiam ex Dei privatione exortam pariter ingentem esse. *Frustrata quippe cupiditas* (Augustino teste lib. 21. de civitate Dei, cap. 3.) *sive non perveniendo quod tendebat, sive amittendo, quod pervenerat, vertitur in dolorem.* Et verò magnitudo cupiditatis illius, amorisque, mensura doloris est ex dilecti absentia enascentis. Quare tristitiam qua deagimus, necesse est esse permaximam. Sanè Angelicus Doctor docet minimam damni pœnam graviolem esse gravissimâ hujus vitæ pœnâ: cujus ratiocinationem proximè superius attulimus. atque hanc sententiam sic egregiè more suo explanat Suarez. de Purg. sect. 3. *Magnitudo tristitia oritur ex magnitudine boni amissi, seu mali presentis, & ex vehementiori illius consideratione, & ex magnâ affectione ad illud.* Hæc autem omnia excellunt in pœnâ illâ. *Talis enim est visio, & beatitudo celestis, ut possessio illius, vel per diem excedat omnia bona hujus vitæ simul sumpta, & per diuturnum tempus possessa.* Tale etiam est bonum illud, ut si opera nostra, vel affectiones per se spectentur, esset superabundans pretium illorum, etsi ad solum breve tempus concederetur: ergo è contrario retardatio tanti boni, & privatio eius licet temporalis, maximum malum est, & infinitè, ut sic dicant, excedens omnia vitæ nocumenta. *Secundò anima illa sancta ponderant, & expendunt optimè gravitatem illius mali, & quod gravissimè pungit, cognoscunt se suâ culpâ, & negligentia illud sustinere.* Tertiò vehementer amant Deum, & consequenter eadem intentione appetunt illum videre: ergo necesse est, ut vehementem tristitiam inde concipiant. Hæc summus ille Theologus, quæ nos hætenus exposuimus, & deinceps tantisper adhuc expositum imus. Quippe animis illis acerbius est profectò privari Deo, vitâ utique suâ divinâ, ac supernaturali, quàm fuit vitâ naturali: cum jacturam hanc suam prout par est immenso plu-

ris æstiment, quàm æstimavêre mortem. Mors autem naturalis omnium terribilium terribilissimum est, Philosopho teste, atque adeò omni cruciatu durior, ac molestior. Et experienciâ constat equuleos dirissimos, longissimosque alios cruciatus ad vitam tantisper tuendam patienter tolerari. Deinde supplicia hujus vitæ quantumque sint, inferioris ordinis mala sunt, quàm pœna damni minima: sive quia privatio possessionis Dei possessionem ipsam, quæ superioris ordinis est, quodammodo imitatur, sive quia culpam respicit, unde profecta est: ita ut tristitia ipsa culpam pro objecto, ut aiunt, partiali fortiat. Cum ergo culpa, Dei malum sit, atque adeò gravius omni malo creaturæ, animas illas penitus eam cognoscentes gravius afficit, quàm supplicium ullum utcumque atrox possit afficere. Denique piis manibus optabilis est, & esse debet Deo perfrui, quàm tristius foret omne subire supplicium: ergo Deo, vel ad tempus suâ culpâ privari durius, & intolerabilius est, quàm multari quolibet supplicio. Etenim, ut Dei possessio majus bonum est, quàm malum sit tolerantia omnis supplicii: ita illius possessionis privatio in genere mali superat cujuscumque tolerantiam supplicii. Ex quibus consequitur gravius affligari defunctos, vel brevissimâ beatitudinis morâ, quàm lustralium flammarum tormento, tamen mortalibus, omnia sensu suppliciorum visibilibus metientibus, videatur paradoxum.

Quibus ut illud utcumque aperiam, ea subicio, quæ mortalium animos magis fecerit, & rem nostram velut specula quædam exhibere videntur. Primum enim revocandum est in memoriam pios manes, etsi extra viam ac vitam positi sint, tamen à termino, seu patria adhuc abesse. Etenim cœlum nobis patria est, cujus utique cives ipso Christi sanguine conscripti sumus: & heu! quot animæ, corporisque miseris, quot laboribus, ac periculis exposita est vita hæc nostra, seu via ad patriam cœlestem! Quot homines in eâ, velut in procelloso mari calamitosissimum salutis naufragium faciunt! Cum igitur fideles mortui, hisce discriminibus perfuncti, & totam vitæ viam ementi eò vehementius ad patriam anhelant, quò propius ab illâ absunt, quis explicet quanto mœrore afficiantur, quando vindice justitiæ divinæ manu longè ab eâ repelluntur in horridam illam Purgatorii regionem, ubi fame, siti, aliisque ingentibus incommodis conficiantur? Similis quidem fuit illorum calamitati funestissimus Sossæ Lusitani

122.
Item speculationem ex ratione peregrinam.